

tarus Mandulci frater bellum Burgundionibus intulit: multisq; praeliis
defatigatos adeo afflixit Ut desperata alioquin salute nouum consilium
caperent. Conuersi nanq; (Ut saepe fit aduersis in rebus) ad diuinum auxi-
lium christianum baptisma receperunt. Votis conuersis: conuersa uictoria
est. Nanq; iterum Hunni Burgundionibus congressi: maxima accepta cla-
de Et Subtaro rege imperfecto in pristinas sedes retrocesserunt. Sunt qui Bur-
gundiones scythicam quoq; gentem: sunt qui Germanicam scribunt fuis-
se. Illud satis constat Valentiniani temporibus Rhenum transisse. Sedesq;
inter Rhenum rhodanumq; cœpisse. Sic appellati quia uicarim habitaret
& quasi sub tentoriis. Burgos enim huiusmodi habitatioes Galli appellat.
Eas sedes adhunc usq; diem semper incoluere. Placuit multis in quibus est
Celius Hunnos fuisse qui & Auares. Postea uero ex utroq; nomine hunga-
ros appellatos. Quid autem de hungaris acceperimus: dicemus paulo post.
Athilæ regis gesta a pluribus memorie mandata sunt. Diuerso tamen bel-
lorum ordine: dum aliud aliud prius ab eo gestum narrat. Cætera quidem
omittemus: Attingemus breuiter ea quæ ad rem uenetam maxime pertinere
existimabimus. Is igitur Athila natu maior apud Subtarum patruum &
Mandulcum patrem militaribus studiis innutritus: defunctis illis: per to-
tum pene septentrionem arma circumtulit: non tam dominandi cupidus q;
uincendi. Eam demum magnam gloriæ existimans: si illius uim &ensem:
quem quasi martis spolium semper in bellis gestabat: nemo mortaliū su-
stineret. Nam & sarmatiam omnem & finitimos quosq; populos: bello
perdomuit. Dicens deinde aduersus orientalis imperii prouincias: cōgres-
sus Macrino Imperatorio duce apud Martianopolim Atq; eo superato
transmisso danubio populabundus pannonias: Illyrios: Messiam Thraci-
am usq; uastauit: ipsam petiturus Costantinopolim: Nisi a Theodosii. ii.
ducibus undiq; accitis repressus & (ut nonnulli uolunt) ingenti accepta cla-
de profligatus in patrias reuertisset sedes. Ea clade nihil territus. Bleda fra-
tre ingerio mitiori qui bellum cum Romanis dissuaderet, Immissis per
custoribus imperfecto: inuadere occidentale imperium adortus est. Itaq; ad
iunctis quattuor barbararum nationum regibus: Erulorum: Alanorum:
Gepidarum: Turcilingorum, Quarum copiarum numerum ad quingēta
milia extitisse ferunt: In gallias transgressus est. Dimicauit de summa re-
rum apud Tholosam cū Etio Romano duce: Qui maxima ipse quoq; au-
xilia contraxerat Gotthorum, Alanorum, Franchorum: Burgundionum.
Comissum prælium est in cathalaunicis campis maxima mortalium stra-
ge. Siquidem centum & octoginta milia in eo prælio cecidisse oës tradūt.
Superior fuit Romanus. Maiore igitur accepto detrimeto Athila q; illato
relictis Galliis copias transmisso Reno i panoias reduxit: Iritata potius q;